DE

MORBIS URETERUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

DIE XVIII. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLI.

HERMANN H. WICHMANN

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

C. FUHRMEISTER, Med. et Chir. Dr,
G. STENS, Med. et Chir. Dr.
I. AHRWEILER, Med. et Chir. Dr.

BONNAE,

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI,

REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD.,
DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITTER
COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC.

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Diagnosis morborum ureterum generalis.

Difficillimum est saepissime diagnosin morborum ureterum eruere, quum haec argana tantopere aliis organis sunt recondita. Saepe accidit quoque, ut, si signa ureterum obscura, singularia et abrupta se praebent, aut si cum ureteribus aegrotantibus simul aliud arganon grave laborat, quod fere semper occurit, nos morbos ureterum plane ignoremus [1]). Scimus enim, si organa duo in uno corpore simul peccant, organon, quod maioris est momenti aut in quo morbus gravior valet, alterum organon obscurum reddit.

Symptomata morbornm ureterum generalia hic sequuntur:

Dolor in regione lumbali, qui decursum ureterum sequitur, descendere atque ascendere potest secundum sedem morbi. Qui dolor saepe ad vesicam urinariam et praecipue ad collum

1) C. R. Pemberton, praktische Untersuchungen über verschiedene Krankheiten des Unterleibes. Aus dem Englischen von Gerh. von dem Busch. Bremen, 1807.

visicae urinariae propagatur, ibique sensum efficit mutatum. Dolor quoque ad perineum, ad urethram et glandem penis progreditur, ubi saepe maxime sentitur. Testiculi, plerumque facile dolentes, in canalem inguinalem trahuntur. Femur tandem lateris aegrotantis plerumque simul cum aliis partibus aegrotat.

Excretio urinae turbata magni momenti est in morbis ureterum cognoscendis. Urinae excretionem impeditam non esse in vesica urinaria aut urethra cognoscitur partim exploratione cum cathetere, partim ex praesentia aut inopia nisus urinam mittendi. Uretere uno peccante, symptomata quoque in uno tantum latere occurrunt, at bene quoque intelligitur, una ambos ureteres facile peccare posse, uti toto in corpore in organis paribus reperimus. Ita ut unus oculus aegrotans alterum facile afficit, sic quoque unus ureter peccans alterum in eundem morbum inducit. Si igitur P. Frankius dicit, ambos ureteres stipatos esse debere, si vesica urinaria vacua esset urina, Heusinger hoc repugnat [1]). Bene porro tali in casu, quo defectus urinae ex urethra aut vesica urinaria ortum non ducit, distinguendum est, num adsit ischuria ureterica, aut sit anuria,

---

1) Robert Willis, die Krankheiten des Harnsystems und ihre Behandlung. Aus dem Engl. übers. mit Anmerkungen und Zusätzen von Dr. E. T. Heusinger. Eisenach 1841. S. 351.

illa nempe conditio, qua non excretio, sed secretio urinae peccat. Si obstructio urinae magis in superiori parte ureterum sedem habet, aderunt magis symptomata suppressionis — anuriae —, quam retentionis — ischuriae. In ischuria quoque semper morbum localem graviorem et dolorem perspicuum, qui in regione lumbali atque in femure, in vesica urinaria et pene sentitur, et qui totum corpus magis afficit, invenies, quam in casibus, ubi occurrit anuria. Certe quoque aegrotum querentem audibis sensum distentionis, plenitudinis tumorisque, etiamsi externe nil huiusmodi licet invenire. Si ischuria in superiori parte invenitur, et si omnino excretio non deest, parvae aut maiores copiae fluidi irregulariter emittuntur, et vix duo aut tres dies praetereunt sine guttula urinae, uti in anuria reperitur. Si in aliquo casu uno momento plures unciae urinae apparent, et deinde per tempus urina deest, certe impedimentum urinae est retentionis, et nos intelligimus, si suppressio intrat, eam ex retentione ortam esse.

Impedimentum urinae, si in inferiori parte ureterum haeret, symptomata retentionis sunt clariora, distentionis sensus, dolor obtusus, premens in regione lumbali, saepius pungentibus doloribus intermixtus, ad perineum glandemque penis, et ad femur descendens sentitur. Tempore

quodam praeterlapso plenitudinem externe bene perscrutans invenire potes [1]).

Magni pretii porro in cognoscendis ureterum morbis est affectio ventriculi, qui cum organis uropoëticis facillime laborat. Quae ventriculi sympathia dolore in regione epigastrica media, fastidio et vomitu elucet. Haec sympathia tam magna invenitur, ut eodem momento, quo ureteres laborare incipiunt, vomitus quoque oriantur, uti e. c. in ureterolithiasi observatur.

Adhibere quoque potes, ut cognoscas morbos ureterum, plessimetrum, praesertim si ureteres dilatati atque impleti sunt. Caute autem tibi agendum est, ne partem tractus intestinalis pro uretere habeas.

Exploratio cum cathetere per vesicam urinariam multis in casibus utilitatem ferre potest, uti exempla praecipue docent, ubi in ostio ureteris calculi haerent.

Talibus in casibus quoque exploratio digito per anum prodesse valet, si inferior pars ureteris peccat.

Utilitatem tandem tibi affers, si, uti Pembertonius dicit, organa dividis in organa, quae reproductioni praesunt, et in talia, quae excretioni serviunt. His aegrotantibus macies fere nulla

---

1) Cf. Willis.

occurrit, illis autem peccantibus macies et consumtio virium magna invenitur. Haec organa sunt hepar, pancreas, ventriculus, intestinum tenue et glandes mesaraicae, illa sunt organa uropoëtica, intestinum crassum et mammae.

Maximi momenti est, morbos ureterum a morbis aliorum organorum distinguere.

In morbis autem ureterum distinguendis a morbis ventriculi, hepatis, lienis, tractus intestinalis, peritonei, musculorum ad lumbos sitorum, observanda sunt praecipue symptomata, quae systemati uropoëtico propria sunt, et illa symptomata, quae ad organa nominata proprie attinent. Sedes igitur doloris, tempus, eiusque modus, quo vexat aegrotum, symptomata functionis turbatae in unocunque organo bene sunt respicienda.

Difficile est autem morbos ureterum a morbis vesicae urinariae distinguere. Hic exploratio cum cathetere partim urinam in vesica quaerendo, partim locum aegrotantem ipsum tangendo, hic exploratio digito per anum, praesentia aut inopia nisus urinam mittendi, retentio urinae in ureteribus, sedes doloris eiusque propagatio duces tibi esse debent.

Difficillimum est, et saepe omnino fieri nequit, ut morbos renum a morbis ureterum discernas. Ex sede doloris, ex historia, ex signis, quae suppressio aut retentio urinae afferunt, de

quibus iam supra sermonem feci, ex varietate urinae discrimen sistere necesse est.

Irritatio ureterum.

Irritamentum omne extra modum adauctum vitae conditionem mutat, eo autem modo, ut dolor irritamento adaucto augeatur, diminuto minuatur et sublato auferatur. Dolor ab irritamento commotus, irritamento perdurante pro tempore remittere, atque sensibilitate obtusa intermittere potest. Irritamenta ureterum intra parietes eorum et extra posita esse possunt. Praesertim adnotandi sunt calculi vermes, sanguis, pus, hydatides atque materies tuberculosa; quae res maxime in renibus oriuntur, et in vesicam urinariam descendunt. Huc quoque attinent remedia in systema uropoeticum agentia, quae dividuntur in diuretica antiphlogistica, nauseam moventia et irritantia.

Diuretica antiphlogistica sunt: magna copia aquae frigidae, acida et salia. Ad diuretica nauseam moventia numerantur omnia salia, quae nauseam afferunt, rad. squill. deinde, colchicum autumnale et digitalis. Inter diuretica irritantia mitiora atque fortiora inveniuntur. Mitiora nominantur rad. allii, rad. cepae, rad. armoraciae, herb. nasturt. aquatic., fortiora, canth. olea aether. iunip. terebinth., herb. ror. marin. reme-

dia balsam [1]). Externa irritamenta afferre possunt tumores in vicinitate, excrementa congesta, hydrops, borborygmi et alia multa.

Casum, qui huc attinet, narrat LAURENT [2]): iuvenis vir ensi in regione hypochondriaca dextra vulneratus, modo per urethram magnam copiam sanguinis emisit. Cura antiphlogistica atque antispasmodica adhibita, dolor modo atque tumor iam ortus in loco vulnerato minutus est, et aegrotus parvam urinae clarae copiam facere potuit. Cura antiphlogistica deinde continuata est, et valetudo revertere videbatur. Aegroto autem diaetam praescriptam non sequente, mictus cruentus iterum rediit, dolor de novo apparuit, abdomen doluit, et secundum decursum ureteris dolor urens intollerabilis est factus. Micto cruento saepe iterato, cura antiphlogistica nihil iuvante, aegrotus post longum tempus succubuit.

Sectio: instrumentum interstitium inter costam spuriam tertiam et quartam, marginem acutum hepatis penetraverat. Ren in inferiore parte vulneratus fuit, at cicatrix iam adfuit. In pelvi renali parvus, ruberrimus tumor se praebuit, qui ex multis parvisque foraminibus sanguinem emittere videbatur. Tumor iste coagulum materiei

1) KOENIG, Krankheiten der Nieren. Leipzig, 1826.
2) LAURENT, journal generale de medecine. 1821. I. T. 74.

fibrinae esse videbatur, quod initio post vulnerationem effluxum sanguinis in pelvi renali impediverat. Ureter nullo modo mutatus fuit, in vesica urinaria urina valde rubra, cum coagulis sanguinis mixta, inventa est.

Irritabilitas adaucta.

Praecedebant irritamenta, dolor adest secundum decursum ureterum, pressu non augetur, intermittit, intumescentia non invenitur. Urina saepe dolet. Oritur hic dolor saepe ex refrigerio, rheumatismo, artritide. Huc sequentia puto: SYDENHAM [1]) narrat, in rene et secundum decursum ureterum dolorem atque alia symptomata omnia, quae morbum renum indicant, effectu hysterico oriri et difficile dignosci posse, utrum haec symptomata ab incluso calculo an vero ab effectu aliquo hysterico enascantur, nisi forte casus aliquis acerbior aegrae animum paulum antequam corriperetur discrucians, aut materiae viridis per vomitum reiectio, symptomata ista potius adfectioni hystericae, quam calculosae tribuenda esse docuerint.

1) SYDENHAM diss. epist. ad Guliel. Cole. M. D. Lugd. Batav. 1726, p. 390.

Irritabilitas diminuta.

Illa est conditio, ubi irritamenta, quae in organo sano irritationem efficiunt, non sentiuntur, sed maiora adhibenda sunt, ut reactio vitalis oriatur. Casus, quem adiungam, satis explicabit: Frid. Brown [1]) narrat casum ubi renitis adfuit, atque nullus dolor, sed gravitas parva febrisque, et ubi calculi in ureteribus invenibantur sine ullis signis, quae saepissime diro modo efficere solent. Calculus ponderis gr. VIII ß formae fabae albae in uretere dextro adfuit; neque supra neque infra calculum ureter mutatus fuit. In sinistro quoque uretere calculus ponderis gr Vß haesit, cuius in ambitu nulla inflammatio. Alio in casu, ubi aliquis sine ullis signis renum aegrotantiam ischuria mortuus est, in rene sinistro calculos duos pollices longus repertus est, et ureter confertus fuit arena et abruptus [2]).

Catarrhus ureterum.

Uti aliae membranae mucosae ex catarrho laborant, sic quoque ureteres, etiamsi rarissime occurrit. Symptomata sunt initio signa irritabilitatis adauctae, dolor pungens, urens, urina tur-

1) Edingb. medical and surgical journal. V. XIX. 1823. p. 253.
2) Henkes Zeitschrift. B. 23. S. 380.

bata, dolens saepe, si percurrit. Si haec symptomata antecesserunt, aut fortasse, quod quoque occurrit, non sentiuntur, mucus cum urina emittitur, atque stadium secundum catarrhi, torpor adest. Quomodo mucus in vesica urinaria secretus a muco ureterum et pelvis renalis discerni potest, dicuntur: mucus, si in vesica urinaria oritur, massam aequalem albuminosam praebet, quae decantata urina remanet et cohaerens e vitro in aliud eiici potest et fila facit. Mucus, si oritur in ureteribus et pelvi renali, floccos facit, uti in fluido albuminoso, si coquitur aut si acidum instillatur, albumen coit et floccos praebens praecipitatur. Ambae si una occurrunt species, mucus albuminosus, pellucidus, et floccidus, vesica urinaria et ureteres simul laborant [1]).

Spasmus. Paralyzis.

Ureteres spasmo affici posse, omnes non concedunt, nam sunt multi anatomae, qui dicant, ureteres musculis egere; Schmalz (diag. Tabell.) dicit: Auch Krämpfe können unter lebhaften unbeständigen Schmerzen die Harnleiter affiziren. Schoenlein quoque dicit, spasmum

1) Schoenlein speziell. Pathologie und Therapie.

ureterum oriri posse. Plures sunt, qui hoc de malo sermonem faciant. Talia quoque de paralysi.

Inflammatio ureterum sive ureteritis [1]).

Ureterum inflammatio symptomatis similibus, quibus renes et vesica urinaria, quibuscum coniuncta plerumque occurrit, distinguitur. Dolores ardentes, pungentes, pulsantes saepe, pressu crescentes et calore atque tussi et sternutatione, continue durantes occurrunt, ad vesicam urinariam descendunt atque ad renes adscendunt. In regione vesicae urinariae, in urethra graves sentiuntur, ita ut morbus saepe pro morbo vesicae urinariae habeatur. Testiculi dolentes ad canalem inguinalem attrahuntur. Dolor ad femur ipsum descendit idque saepe insentiens reddit. Inflammatione intumescunt ureteres et concludunt eorum lumen. Si unus tantum ureter intumuit, urina omnis non deest, sed per alterum adhuc descendit. Urina initio clara et rubra, saepe autem muco, sanguine aut pure polluta. Supra locum inflammationis ureter urina exspanditur, et fieri potest, ut intestinorum parti aequare et pro ea haberi possit.

---

1) Cf. Sommering, Krankheiten der Blase. — Schmalz, diagnostische Tabellen. — Koenig, Krankheiten der Nieren. — Willis, Krankheiten des Harnsystems.

Num tali in casu plessimeter aliquid valeat? Si ambo autem ureterum lumina constringuntur, uti saepissime accidit, si simul pars superior posterior vesicae urinariae inflammata est, vesica descendenti urinae concluditur atque nulla urina apparet. Hac in re cathetere uti possumus partim ad explorandum inflammationis locum, partim ad cognoscendum defectum urinae. Tali modo omnia ischuriae symptomata oriri possunt, de quibus Soemmeringus talia refert: urina in ureteribus se accumulans eos extendit, dolorem provocat in lumbis, cruce, testiculis atque in femure. Saepe in ureteribus retenta atque accumulata urina vasis lymphaticis pelvis et lumborum resorbetur, sanguini admiscetur, et modo his modo aliis ramis aortae defertur. Secundum varia organa, quibus urina affertur, varia quoque contingunt. Si urina per pulmones vias facit, odorem foetidum ex ore efficit, si ad cutem pellitur, sudorem urinosum provocat, si ad intestina venit, ructus atque vomitus urinosos reddit atque diarhoeam, si caput et cerebrum adit, oriuntur salivatio, cephalea, vertigo et apoplexia. Saepissime autem haec urina typhum mortalem afferre solet.

Accidit quoque, ut, si ureteres supra modum urina implentur, dirumpantur et eorum contenta in abdomen effluant, quo nova series sympto-

matum oritur. Quam conditionem urocoeliam sive ascitem urinosum nominant.

Pro gradu inflammationis febris adest.

Supuratio.

Antecessit inflammatio non dispersa, irritamentum restitit, symptomata inflammationis diminuuntur et in eorum locum subeunt pulsatio, horror, sensus gravitatis.

Tali conditione fiere potest, ut pus, si lumen ureteris iterum aperitur, in vesicam descendat atque simul cum urina excernatur. Qui eventus omnium optimus. Evenire autem potest, ut urina atque pure retenti, abscessus oriantur, qui varias vias sibi praeparare valent. Ureter enim modo cum musculis concrescit, atque pus in regione sacrali evadit, aut cum musculo psoate descendit, et sub ligamento Poupartii apparet, aut decursum ureterum sequi et in pelvim descendere atque perineum perrumpere potest [1]). Cohaesionem quoque ureterum cum peritoneo viderunt atque pus modo inter intestina sese diffudens laetalemque peritonitidem

---

1) P. Frank, decur. hom. morb. lib. 11. p. 297. rayer, pl. 9. pl. 19. pl, 43. — Petit traite de Mal. chir. Tom. 111. p. 7. Le Dran, Sammlung auserles. Abhandlungen. B. I. S. 86. Cf. Wedel, Heuermann, Schaarschmidt. Troia etc.

commovens, modo cohaesio cum tractu intestinali facta et pus dein cum sedibus evacuata est.

Gangraena.

Gangraena quoque ureteres arripere potest, praesertim si asperi atque secantes calculi se offerunt. Dolor est gravissimus, at desinit, si gangraena intrat. Signa alia eadem sunt, quae ubicunque inveniuntur. Gangraena, si membranam internam arripuit atque calculus dein in vesicam descendit, sanari potest, si pars gangraenosus solvitur.

Hydrops ureterum [1].

Hydrops ureterum sic se habet quam hydrops renum, quocum saepissime coniunctus est. Causa, quae urinam retinet et urina retenta, de qua iam dixi, signa efficiunt. Non omnis autem obstipatio ureterum facit hydropem, de qua Walter a. a. O. p. 110 exemplum narrat. Contentum rare urinae aequatur. Walter enim narrat casum, ubi simul ren sinister hydrope laboravit et magna copia limpidi, perspicui, parum flaventis, odoris omnis egentis fluidi adfuit. Calculus magnetudine parvae nucis urete-

---

1) Cf. Schmalz.

rem in vesicam intrantem deviam fecit. Pelvis renalis atque ureter vęsicae dilatatae aequatus est. Alios casus narrat Dr. IOHNSON et Dr. KOENIG [1]).

Tubercula ureterum.

Tubercula ureterum simul cum tuberculis renum observata sunt. Si tunica mucosa ureterum tubersulosa affectione laborat, glabrietate privatur, inaequalis et rugosa fit, saepe occurrunt parvae ulcerationes. Interdum affectio tuberculosa usque ad tunicam mucosam vesicae urinariae se extendit.[2]) Casum, quem adiungam, narrat HOWSHIP:

Virgo, 26 annos nata, pondus premens in regione lumbali et dolorem descendentem et omni quadrante horae nisum urinam mittendi questa est. Urina fuit clara. Postea dolor tam vehemens factus est, ut omni modo doloribus partus similis fuerit et aegram lacrimare et clamare coegerit. Dolor ad vesicam urinariam et ad femur veniebat, vehementissimus in urethra sentiebatur et tam vehemens fuit, ut dolori cultro secanti provocato similis fuerit.

1) Cf. MONTHLY medico chir. journal. Juli 1816.
2) Cf. WILLIS.

Sectio: ureter dexter valde crassus fuit, tela cellulosa inter tunicas eius materie molli impleta fuit, tubae Fallopianae eiusdem lateris induratae, ovaria quoque indurata inventa sunt.

Tunica mucosa urethrae aliquid rubra. In sinistro latere ren multo maior sacculos formavit, pelvis renalis atque membranae ureteris valde crassae fuerunt. Canalis ureteris et cavernae renis materie molli, tenaci, flava impletae erant [1]).

Alium casum narrat Dr. Koenig, ubi tubercula in hepate et rene adfuisse, et dicit, ureterem sinistrum ambitum digiti medii ostendisse, ab ortu ex rene usque ad vesicam urinariam durum fuisse, eiusque superficiem internam ulceribus affectam fuisse [2]).

Lipoma [3]).

Ren et ureterem in substantiam pinguem degeneratum invenerunt.

Scirrhus.

In casu scirrhi renalis ureter valde coarctatus fuit.

---

1) Howship o. a. O. S. 44.
2) Koenig, S. 218.
3) Heer de ren. morb. diss. p. 33.

Casus alius in clinico med. Bonnens. observabatur, ubi iuvenis, decimum septimum annum agens, demortuus est, cuius ren sinister multis in locis cartilagineus, et membranae ureteris cartilagineae inventae sunt.[1]) Alius casus hieme ultimo in clin. chirurg. Bonnen. observabatur, quo simul cum scirrho uteri et partis vesicae urinariae posterioris simul ureteres scirrho laboraverunt et valde dilatati sunt inventi.

S*teatoma.*

Casum de steatomate renis dextri narrat Thomson, quo simul ureter affectus est.

Encephaloides.

Encephaloides creberrimum genus cancri in organis uropoeticis formare, dicit Heusinger. Varie occurrunt, vel solum renes, vel simul pelvim renalem, ureteres, et vesicam urinariam afficiunt.[2])

Vesiculae in tunica

Mucosa ureterum, et pelvis renalis inventae sunt, quod iam Morgagni dixit (Ep. XLII. II. Ep. XLIV. 15). Novissimo tempore Rayer tales casus pinxit. (Livr. VI. pl. 11. fig. 2. Livr. X. pl. 52. fig. 2. 3. 4.

1) Cf. König.
2) Cf. Willis. S. 435.

De corporibus alienis in ureteribus.

Corpora aliena, quae in ureteribus inveniuntur, aut in iis ipsis sunt arta, quod quidem raro evenit, aut ex renibus descendunt. Res, quae praesertim observatae sunt, sunt calculi, sanguis, pus, mucus, materies tuberculosa, vermes atque hydatides. Cognoscitur aliquid in ureteribus inesse partim ex irritatione commota, quam inflammatio eiusque sequelae sequi possunt, quibus rebus diagnosin corporum alienorum sistere aut gravatur, aut omnino sisti nequit, partim ex retentione urinae, si forsan ureter unus aut ureteres ambo stipantur. De symptomatis irritationis ureterum et retentionis urinae iam supra dixi. Si autem unus ureterum peccat, symptomata uno tantum in latere observantur, atque urina omnino non retinetur. Maximum tandem momentum ad diagnosin firmandam afferunt praegressa, historia. Multis quoque in casibus exploratio, sit externa, tactu, plessimetro, sit interna, cathetere, aut digito per anum prodesse potest.

Quid autem sit, quod in uretere inest, raro certe cognoscitur, sed plurimis in casibus tantum opinatur. Quo enim modo vermes atque hydatides cognoscere vis in ureteribus, quas in renibus cognoscere nequis. At si iamiam materies

albuminosa, hydatides, et vermes urina sunt eiecta, concludimus, si paulo post talia adsunt symptomata, quae prius his rebus efficiebantur, nunc quoque vermes aut hydatides adesse, quae urinam impediunt. Adfuit haemorrhagia renalis, sit vulnere externo aut alio modo commota, et deinde urina retinetur, atque causa retentionis in urethra aut vesica urinaria non invenitur, credere possumus coagulum sanguinis ischuriam uretericam commovere — ureterothromboides.[1]) Adest catarrhus vesicae, quocum catarrhus ureterum et pelvis renalis coniunctus videtur, veresimile est impedimentum urinae mucus. Saepissime inter omnia autem aliena in ureteribus occurentia sunt calculi, qui in uretere ipso orti observati sunt, plerumque autem ex renibus descendunt — calculus ureterum, ureterolithiasis.[2]) Elucet per se ipsum et ex historiis intelligitur, calculos in ureteribus ortos facilius ferri, quam descendentes, et saepe omnino ignosci. Causae, quibus fit, ut calculi in ureteres ex renibus descendant, praecipue sunt compressiones alvi et motiones. Qua ex causa igitur saepissime accidit, ut in alvum deponendo sensus oriatur, quasi aliquid in rene rumperet, pondusque decaderet; et calculus in ureterem intrat. Diagnosis firmatur, si dolor in

1) Cf. König.
2) Cf. Schmalz.

rene antecessit, si aegrotus iam prius calculis renalibus laboravit, si cum urina calculi parvi aut arena iam apparuerunt, postquam similes affectiones antecesserunt et signis calculorum in vesica urinaria locum reliquerunt. Hic adnotetur, ut Morgagni dixerit, si arena cum urina appareat, tunc calculos omnino deesse. Parvi atque glabri calculi saepe nullam efficiunt affectionem et sine ullo incommodo in vesicam urinariam veniunt. Saepe autem, praesertim si calculus superficiem praebet asperam, affert diras atque dolores nefarios, subitaneos, ad testes in canalem inguinalem retractos progredientes atque ad femur internum descendentes. Distensiones atque pressus oriuntur, vomituritiones, convulsiones horripilationes, flatusque in ventriculo et in tractu intestinali. Urina rubra, parca, saepe sanguine mixta. Pembertonius narrat, dolorem gravissimum saepe in cute externa inter umbilicum et spinam anteriorem superiorem ossis ilii adfuisse, et G. v. d. Busch, interpretator, confitetur, se hunc dolorem saepius pro enteritide habuisse. Quae omnia modo longe modo breve durare possunt, et bono marte tam subito desinere valent, quam orta sunt, eodem nempe momento, quo calculus in vesicam urinariam transit. Si calculus progreditur atque vesicae propinquat, dolor fortasse eodem modo mutat locum. Saepe calculus

sensim progrediens per ureterem et intrans in vesicam urinariam perspicue sentitur. Accidit autem, ut haereat et praecipue eo loco remaneat, quo ureter vesicam perforat. Invenitur autem quoque, ut ex ureteribus procedens calculus inter membranas vesicae urinariae locum sumat, ibidem amplificetur, ita ut cavernam sibi praeparet, quae foramine rotundo cum vesica urinaria comminicationem praebet.[1]) Impetus deinde non desiunt, dolor fit fixus et inflammatio apparet, quae suppuratione, gangrena, perforatione canalis, effusione urinae in cavitatem pelvis finitur. Calculus, si haeret in parietibus vesicae, per vaginam aut rectum, si aliquem habet ambitum, tactu cognosci, aut per vesicam urinariam cathetere tangi potest. Arena et parvi calculi saepe ureterem concludere valent, attamen dolorem magnum non movent et subito e. c. equitando, vehendo, vomitis etc. emittuntur. Eodem modo, dicit Pembertonius, quo calculi biliosi per ductum choledochum pelluntur, hi quoque calculi per ureteres veniunt; urina nempe se accumulante ureter dilatatur. Distentio non prius oritur quam ureter omnino munitus est. Qua ex causa saepe animadvertimus, aegrotum iam longum tempus do-

---

1) M. I. Chelius. Handbuch der Chirurgie. Stuttgart 1830. 2. Bd. S. 210.

lorem in regione renali sentire. Eo tempore calculus cum urina non emittitur, usque aegrotus subito dolores vehementissimos sentit et retentione urinae vexatur, quod omne desinit, si urina incipit fluere, ubi tunc calculus incarceratus abiere solet. Calculo igitur pro lumine minori ureter non stipatur, et calculus prius perpelli nequit, quam aut situm mutavit aut accedente materie calculosa obstipatio completa fit. Hac conditione urina pone calculum se accumulans, etiamsi dolores facit vehementes, ureterem distendens calculo viam ampliorem facit atque protrudit.

Ruptiones ureterum

Observatae sunt calculis in ureteribus collectis, dequo iam supra exemplum narravi. Alium casum, memoriae dignissimum, Henke[1]) narrat, ubi ruptio ureteris dextri ex lapsu alto in iuveni sano orta est. Signa ex urina imminuta, ex ascite urinoso et ex inflammatione partis abruptae prodierunt. Hac de re Boerhave §. 171 et van Schwiten sermones faciunt.

Aberrationes ureterum a prima conformatione.

Defectus ureterum.

Ureteres renibus deficientibus saepe deficiunt, et una rene deficiente unus quoque ureter

1) Henkes Zeitschrift B. 23. R. 375.

maxime deest. Raro deerant ureteres in renibus male constructis. Sic FRIDERICI invenit in haemicephalo quodam sine organis genitalibus externis ureteres nullos. Vesica plane vacua erat, cumque spiritu inflato se distendi pateretur, de exitus defectu non erat dubitandum. Renes, integumentis suis privati, nudi conspiciebantur; dexter multo maior solito, post incisionem, aliquid lotii, ordinario naturae ductu in vesicam derivandi, emittebat; sinister dextro multo minor, cruoris nonnihil continebat; de ureteribus autem necquicquam inveniri potuit (Monstr. human. rariss. Lips. 1737. p. 93.) Ureteres deficientes quoque TEILOW Erfurt 1793 memorat.

Uretes conclusi

Saepius occurrunt aut in superiori aut inferiori parte. LITTRE, BILLARD, KLEIN in superiori, MURRAY, MORNO, WRISSBERG, HARTMANN, BARTHOLIN eos in inferiore parte conclusos viderunt.

Ureteres latiores

In foetu et neonato normaliter occurrunt, quod posterius non occurrit. Saepe autem abnorme dilatati, sacculos ipsos[1]) formantes inventi sunt, de qua re auctores casus narraverunt et pinxe-

---

1) Edinb. med. Journ. V. I.

runt. Casus narratur, ubi chirurgus in infante cum atresia ani pro parte intestini ureterem sinistrum ampliorem eduxit atque aperuit.

Ureteres se abnorme inserentes

In rectum viderunt KLEIN,[1]) OBERTEUFER,[2]) REVOLAT[3]); in vaginam: BOUSQUET,[4]) SCHRADER (Obs. an. Dec. IV. obs. 8).; in vesicam urinariam quoque ambos uno in latere se aperientes invenerunt; externe cutem abdominis perforantes viderunt: Littre (Mem. de l'Ac. d.S. 1709. p. 9). In urethram ipsam se inserentes invenerunt: BINNIGER,[5]) LAUTH (SCHMIDT Jahrbuch VI. p. 377.) In inferiore parte conclusos et coecos eos invenit MONRO Tr. of. the Edinb. Soc. vol. III. 1, p. 217.), WRISSBERG (Comment. vol. 1 pg. 167.)

Ureteres numero plures.

Divisiones in superiori parte in plures BOTALLI (sine pelvi renali). MOLNETTII quinque, DOLLESTANG quatuor vidit. WAGLER uno in latere quatuor in altero duos invenit ureteres.

De divisio usque ad vesicam dicunt van HORN, PETSCHE.

---

1) N. A. N. C. vol 1. obs. 58.
2) STARK N. Archiv B. II. S. 634.
3) SEDILLOT Rec. per. vol. XXVII. p. 370.
4) Journ. de Med. vol. VI. p. 128.
5) Obs. med. Cent. 11. obs. 34.

Cerulli invenit duos ureteres, unum ex pelvi renali, alterum ex duobus renis calicibus provenientem

Ex pelvi renali duos prodeuntes ureteres vidit Otto.

Unum in urethram, alterum in vesicam se aperientem ureterem vidit Lauth. Duas pelves renales cum duobus ureteribus Blassius, Huxham invenerunt.

Raro occurrit divisio in parte inferiori. Labourdette ureteres in duos, Voisin in plures invenit divisos.

Vita.

Ego HERM. HEINR. WICHMANN, Halverdensis, natus sum anno millesimo octingentesimo decimo quarto parentibus HEINR. WICHMANN et CATHARINA e gute HEITKÖNIG, quos inter vivos veneror. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus primum Progymnasium Rheinense per quatuor annos deinde Gymnasium Coesfeldiense per unum et dimidium annum frequentavi. Testimonio maturitatis instructus, Academiam Monasteriensem adii, ibique Rectore t. t. Magnifico ESSER numero civium Academicorum legitime adscriptus sum et apud spectatissimum t. t. facultatis philosophicum Decanum ROHLING nomen professus sum. Praelectiones audivi hasce: Metaphysicam, Psychologiam, Theologiam rationalem apud cl. ESSER, Athmosphaerologiam, Astrognosiam ap. cl. ROHLING, grammaticam hebraicam ap. cl. KALTHOFF, orationem pro Murena ap. cl. WINIOWSKI, de immortalitate animi et de Logice ap. cl. SCHLÜTER. Anno dimidio praeterlapso Almam Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adii ibique ab ill. WUTZER Rectore t. t. Magnifico in numerum civium academicorum receptus ac cl. NAUMANN t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano Spectatissimo nomen professus per quinque annos audivi hasce praelectiones.

I. Philosophicas:

Physicen experimentalem a cl. PLÜCKER; botanicen a cl. TREVIRANO; zoologiam et zootomiam a cl. GOLDFUSS; mineralogiam a cl. NOEGGERATH; chemiam experimentalem a cl. G. BISCHOFF; anthropologiam ab Ill. NASSE.

II. Medicas:

Anatomiam generalem et specialem ab Ill. MAYER et WEBER, qui etiam in cadaveribus dissecandis duces mihi fuere; repetitorium anatomiae ab Ill. WEBER; physiologiam ab Ill. MAYER et Ill. NASSE; pathologiam generalem, semioticen, et pathologiam et therapiam spec. ab Ill. NAUMANN; mater. medicam, medicinam forensem ab Ill. BISCHOFF et ALBERS; demonstrationes pharmacologicas, doctrinam formulas concinandi, de epizootiis ab Ill. BISCHOFF; pathologiam et therapiam generalem, materiam diaeticam ab Ill. Harless; doctrinam de ossibus fractis et luxatis, artem obstetriciam, intrumenta obstetricia, morbos infantum ab Ill. KILIAN; therapiam generalem et specialem, doctrinam de educatione medici, de experientia et experimento ab Ill. NASSE; chirurgiam generalem et specialem, doctrinam de fasciis ligandis, de selectis clinices chirurgicae capitibus ab Ill. WUTZER.

In exercitationibus practicis mihi duces fuere: in clinico propedeutico et therapeutico medico Ill. NASSE; in operationibus in cadaveribus instituendis, in clinico chirurgico Ill. WUTZER; in exercitationibus obstetriciis in phantoma et in clinico obstetricio Ill. KILIAN.

Per annum in septima Ulanorum cohorte duce Dr. KALLMANN chirurgi voluntarii munere functus sum.

Quibus viris optime de me meritis maximas quam possum gratias ago et semper habebo.

Theses.

I.

Nulla congestio nisi sanguinis affluxu.

II.

Diabetes non est renum morbus.

III.

Succi pancreatici est, cibos et concoquere et diluere.

IV.

Contraindicatio nulla.

V.

Nulla virginitatis certa symptomata.

VI.

Vene resorptioni inserviunt.

VII.

Deflorationis certa signa adsunt.

VIII.

In ulceribus curandis ad dyscrasiam maxime repicere debemus

IX.

In mobo chronico semper complicatio.